

MELISSA

EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan - B-1040 BRUXELLIS. Tel. (02) 735 04 08

Editor responsalis: Gaius LICOPPE - Compositrix: Francisca DERAEDT

Bureau de dépôt: 1040 Bruxelles 4 - Afgifte kantoor: 1040 Brussel 4

MELISSA VOS INVITAT AD MEDITANDUM ...

... de multitudine hominum. Multi lectores sententiam suam litteris ad nos miserunt atque hoc argumentum nuper fuit occasio historicae disputationis in Domo Latina Bruxellensi.

☞ p. 2



... de erroribus informationis, quorum nos etiam non semper sumus expertes.

☞ p. 5

... de Latinitate viva in scholas introducenda. Cur magistri cum discipulis non agant quandam modernam comoediunculam?

☞ p. 6

... de Alaudis - non de avibus, sed de periodico saeculi praeteriti, quo animo eius auctor id instituerit.

☞ p. 8

... de inceptis, quibus spes renovanda est. Nam multa nova ex orbe Latino nuntiantur.

☞ p. 12

... iterum de multitudine hominum, sub conspectu Concilii Vaticani II.

☞ p. 14

... denique de bono nuntio, quem "Babbus Natalis" ipsissimus ex Finnia nobis affert.

☞ p. 16

DE DISPLOSIONE DEMOGRAPHICA

... ET REPLETE TERRAM ET SUBICITE EAM

Gn. 1,28

Si quis opinionem rationalem sibi fingere vult de hominum multitudinis incremento, imprimis oportet ei nota sint inventa recentis scientiae c.n. «demographia»¹. Qua enim computatur vergente aetate palaeolithica numerum hominum in Terra fuisse circiter quinque milionum. Homines illius aetatis venando atque fruges fructusque feros legendo vescebantur. Tunc singulis capitibus alendis ducentae hectareae erant necessariae.

Magna mutatio oritur decem circiter millenniis a.C.n. in Medio Oriente: ibi enim incohatur aetas neolithica, qua homines cerealia colere pecudesque pascere incipiunt. Reditus terrae millies multiplicatur: singulae hectareae sufficiunt ad quina capita alenda. Quae mutatio lente diffunditur in totum orbem terrarum; in Magnam Britanniam, exempli gratia, tantum pervenit tribus milibus annorum et quingentis post.

Inde gradatim augeri potest Terrae incolarum numerus. Quinque milibus annorum a.C.n. quinquaginta hominum miliones fuisse aestimatur; tempore Christi ducentos quinquaginta miliones. Circa annum millesimum p.C.n. numerus est immutatus propter bella epidemiasque. A tertio decimo saeculo iterum fit incrementum, sed lentum: quamobrem circa annum millesimum quadringentesimum vivunt circiter quadringenti hominum miliones. A saeculo autem sexto decimo celerius augetur multitudo:

circa a. 1600:	quingenti miliones et octoginta (580)
1700:	septingenti miliones et septuaginta (770)
1800:	nongenti miliones (900)
anno 1820:	unum miliardum
1925:	duo miliarda
ab a. 1950	incrementum fit «displosivum»:
anno 1960:	tria miliarda
1975:	quattuor miliarda
1987:	quinque miliarda!

Demographi mathematice demonstrant non magnam perturbationem aequilibrii ortuum et decessuum necessariam esse ut celerrime fiat maxima differentia in viventium numero. Si numerus ortuum maior fit quam decessuum, omnes intellegunt multitudinem auctum iri, sed plerique nesciunt quantum.

Rationibus mathematicis demonstratur, si

quaedam multitudo tantum semisse centesimae partis (0,5 %) quotannis augetur, eam iam post centum undequadragesima (139) annos duplicem fieri; si centesima parte (1%), post undeseptuaginta (69) annos; si binis centesimis partibus (2%), post triginta quinque (35) annos; si ternis centesimis (3%), post viginti tres (23) annos; si quaternis centesimis (4%), post septemdecim (17) annos.

Inde patet parvam differentiam annui capitum incrementi magnam differentiam conferre ad multitudinis multiplicationem. Quae multiplicatio «exponentialis», ut aiunt mathematici, bene illustratur hac comparatione: singulae nymphaeae cottidie gignere solent novam nymphaeam, quae ipsa cottidie novam nymphaeam gignet et ceterae. Consideremus stagnum, ubi unam nymphaeam plantavimus. Postero die duae erunt nymphaeae, perendie quattuor, diebus post octo, sedecim,... Post triginta dies tanta fiet nymphaearum multitudo, ut totum stagnum impleant... atque inopia perire incipiant. "Quid miri?" fortasse dices. Tunc interrogabo: post quot dies fuit stagnum semiplenum? Noli respondere medio mense! Bonum responsum est: paenultimo die! Altera quaestio, subtilior: post quot dies nymphaeae solum ternas centesimas stagni partes (3 %) tegebant? Post viginti quinque dies. Ergo maxima incrementi pars facta est intra ultimos quinque dies: hoc est incrementum displosivum, quod dicitur.

Constat ergo inter omnes, praeter caecos, tale multitudinis incrementum insustentabile esse. Natura incremento finem imponere solet inopia saepe inopinata terribilique. Talem catastropham praenuntiare et vitare est propositum conventus Cairi modo instituti auspiciis Unitarum Nationum Organizationis.

Cur nostris temporibus tantum incrementum? Causa primaria est mortalitas progressibus hygienae medicinaeque deminuta. Optimum exemplum habemus in Sinis. Anno 1949, cum peracto bello civili Mao Tse Tung rerum potitus est, vivebant circiter quingenti (500) miliones Sinensium. Novum regimen systema sanitarium instituit, quo fruerentur omnes incolae. "Medici pedibus nudis", qui dicebantur, missi sunt usque in remotissimos agros. Quamobrem infantium mortalitas tantum decrevit ut anno 1976, cum Mao mortuus est, numerus Sinensium esset unius miliardi; intra unam generationem numerus factus



erat duplex!

Tanti incrementi continuitatem Sinae vix sustinere poterant. Duae tantum videbantur esse contra agendi possibilitates: sive systema sanitarium suppressere, quo facto iterum cresceret infantium mortalitas, sive prohibere ne singulae feminae plus quam unum infantem parerent. Sinarum regentes alterum consilium maluerunt atque abortum imposuerunt feminis plus quam semel praegnantibus. Quo demonstratur quam extremam horribilemque sortem pati possint gentes improvidae.

Non ubique terrarum necessarium fuit moderationem imponere in pariendo. Circa annum 1800 Francogallia incolarum numero longe superabat ceteras Europaeas nationes: triginta circiter miliones erant in Francogallia, decem in Magna Britannia, novem in Borussia. Ineunte XX saeculo ratio facta est inversa: in Francogallia tantum sunt triginta novem (39) miliones, cum in Germania sexaginta septem (67) numerentur. Demographia historica ostendit iam ab exeunte XVIII saeculo Francogallos moderationem in pariendo sibi consulto imposuisse, id quod fieri poterat quia usque in agros remotosque vicos penetrabant "funesta secreta", ut aiebant sacerdotes, quibus sexualitas a fecunditate seiungi poterat. Moderatio in pariendo, quae etiam "malthusianismus" vocatur, tantum saeculo post orta est in ceteris regionibus Europae.

Sic fit, sive maturius sive serius, sed eodem modo, "transitio demographica", ut aiunt demographi. In initio est aequilibrium inter gravem infantium mortalitatem et magnam feminarum fecunditatem. Deinde propter meliores vitae condiciones, hygienam medicinamque minuitur mortalitas: sic rumpitur primum aequilibrium, quod etiam vocatur "naturale". Postea cum augeatur multitudo, fecunditas paulatim minuitur ad novum aequilibrium adipiscendum. Hoc secundum aequilibrium, quod etiam vocatur "voluntarium", valde differt a primario atque mutat societatem humanam.

Francogallus demographus Iohannes Bourgeois-Pichat considerat vicum hypotheticum mille habitantium. In aequilibrio naturali huius vici numerabantur 448 iuniores aetatis minoris quam viginti annorum et 37 veteres aetatis maioris quam sexaginta quinque annorum. In aequilibrio voluntario, iuniores iam non plures sunt quam 187 et veteres facti sunt 245.

Medicus huius vici intra quadraginta annos quadringentos (400) infantes primo anno et ducentos a secundo usque quartum annum mortuos numerabat in primo aequilibrio, in secundo tantum quattuor primo anno et nullum a secundo usque quartum annum.

In primo aequilibrio plus quam tertia pars feminarum ad procreandum aptarum sive partum gerebat sive infantem intra annum pepererat. In secundo aequilibrio, tantum septenae centesimae earum partes (7 %) sunt in eodem statu.

Accipere debemus hanc mutationem tantam esse, ut mores mutentur, quin etiam fundamenta traditae culturae labefiant. Agitur de "revolutione".

Non solum mutationes demographicae non incohantur eodem tempore, sed "transitiones demographicae" diversimode fiunt. In regionibus Europae Americaeque Septentrionalis technicis industriis iam diu praeditis gentes ad secundum aequilibrium sua sponte pervenerunt. Idem factum est in regionibus technicis industriis recentius praeditis, velut in Iaponia. Idem in Sinis, ut iam diximus, sed infeliciter invitis incolis. Maxima displio demographica nunc fit in America Centrali Meridionalique, in Africa, in India et in Indonesia.

Haec inventa scientiae demographicae in mente habeamus oportet antequam de hominum multitudinis momento rationabiliter disputemus.

Gratias agimus lectoribus, qui suam sententiam de hac quaestione nobis litteris patefecerunt. Etiam circulus Latinus, qui tertio quoque mense in Domum Latinam Bruxellensem convenire solet, mense Novembri frequentem sessionem habuit, ubi de eadem quaestione singuli suam opinionem protulerunt.

Sunt qui medicinam incusent quod intemperanter crescat hominum multitudo. Sed quis populum consulto orbare audebit beneficiis modernae medicinae? Ipsi Sinarum regentes communistae hoc non fecerunt, ut supra narratur. Et, re vera, utrum tristius est: infantem iam in lucem productum insanato morbo perdere an embryonem informem ex uteri tenebris movere?

Complures putant religiones hac in re non esse maximi ponderis. Videntur recte iudicare; nam religio catholica quae XVIII saeculo in Francogallia vigeat non impedit quin iam tunc populus moderationem in pariendo voluntarie adhiberet. Idem fit in regionibus Mahometanis. In Tunesia, verbi gratia, regentes praeconium fecerunt pro fecunditate minuenda, ita ut populi incrementum annum iam descenderet ad binas centesimas partes (2 %). Mirabilius: apud nonnullas gentes Arabicas, ubi propter petrolei copiam homines facti sunt praedivites, nunc fit voluntarium multitudinis decrementum, quamquam religio Mahometana eis intoleranter imponitur.

Sunt qui de causis politicis mentionem faciant. Quarum exemplum singulare habemus in Sinis. Vivente enim Mao Tse Tung, maximum multitudinis incrementum factum est, quod iste tyrannus moderare noluit cum censeret potentiam pendere

a subiectorum numero.

Omnes participes sessionis nostrae Latinae in fine consenserunt necesse esse homines non nimium liberorum numerum habere, i.e. prolem nostrae aetatis condicionibus aptatam; hoc fieri potius libentibus quam invitis parentibus.

Si circumspicimus, animadvertimus, ubicumque homines fruuntur prosperis vitae condicionibus, ibi voluntarium aequilibrium institui multitudinemque sine ulla coercitione stabilem fieri.

In talibus disputationibus semper agitur de "dignitate humana", sed statim apparet quam difficile sit eam definire. P. Iohannes Maria Lecomte, qui illam sessionem nostri circuli Latini mense Novembri habitam participavit, textus excerpit explicuitque, quibus doctrinam Ecclesiae catholicae dilucide patefecit; quare hos textus divulgamus pag. 14-15. Dignitas humana de qua agitur in illa doctrina omnino soluta est a condicionibus vitae terrestis: homo est "imago Dei invisibilis"; Christus, qui naturam humanam assumpsit, sacrificio suo homines ad sublimem dignitatem evexit. Ergo, si rem adspicimus ratione Ecclesiae catholicae, etiam pauperrimi miserrimique homines dignitate humana frui possunt. Aequales autem nostri, cum agitur de dignitate humana, plerumque cogitant de condicionibus vitae terrestis.

Quales sunt condiciones quae homine dignae esse videantur? Hic oritur nova difficultas; decursu enim temporum propter progressus technicos augetur copia bonorum, quibus homines frui possunt. Quare populus semper melioribus condicionibus in vita terrestri frui cupit, atque nullus est syndicatus, etiam Christianus, qui hoc non poscat a regentibus, ut dignitati humanae necessarium. Hac ratione rem hic adspicere debemus, cum de multitudine hominum tractandum sit in Terra, non in Caelo.

Aetate palaeolithica, illo tempore quo pauci homines vagabantur in natura virginea, venari ferosque fructus legere erat hominum et munus et decus.

Post revolutionem neolithicam incohatam homo coepit naturam funditus transformare suoque soli bono aptare. Agricola in suo proprio agro fruges legens pecudesque pascens diu fuit exemplum dignitatis humanae. Recordamini L. Quinctium Cincinnatum!

Reolutio industrialis totam mundi scaenam iterum mutare coepit. Agricultura mechanizata facta est industrialis atque perpauci supersunt agricolae. Qui ad urbes imprimis migraverunt, ubi operarii fiebant in magnis fabricis. Eorum condicio in initio fuit miserrima; paulatim ita meliorata est, ut labor mechanicus videretur congruere cum humana dignitate.

Non diu tamen. Crescente arte informatica roboticaque, in dies pauciores fiunt operarii in fabricis necessarii. Post diversorum negotiorum tempora fortasse venit tempus otii, de quo hodierni regentes nondum videntur scire quomodo congruere possit cum dignitate humana.

Ad summum, primitivi venatores soli "naturalem" habuerunt vitam. Agricolae paulatim vixerunt in agris ubi vix quicquam conspiciebatur praeter plantas, arbores, bestias eorum ingenio selectas artificialique modo crescentes. In regionibus ubi praepollet industria technica plerique homines nunc vivunt in urbibus necessario artificiosis atque vix recordantur modum vivendi agrestem.

Decursu harum mutationum homines increscenti otio fructi sunt, unde factum est ut nonnullae corporis partes a fine genuino averterentur. Musculi in laboribus hodiernis tam parum adhibentur, ut debilitentur nisi exerceantur in actuositatibus ludicris. Locupletiores iam diu non nutriuntur pulte, sed varietate ciborum delectantur et gastronomiam colunt. Sexualitatem etiam ab officio procreationis iam diu seiunxerunt. Quod exemplum plures pluresque homines pro increscentibus opibus secuti sunt.

Mors etiam recessit scientiae progressibus. In Belgica hodierna, exempli gratia, media mortis aetas producta est usque ad septuagesimum sextum annum atque iam non plures infantes moriuntur quam octo ex mille. Quibus de causis populus "senescit", ut aiunt, atque saepe auditur propter senioem populum fieri rei publicae senium. Sed senectus non est senium. Anterioribus temporibus, cum in plerisque rebus vis praecipue esset necessaria, populus iunior praepollebat. Nunc vis multo minus prodest societati humanae, quam experientia scientiaque acquisita, quae magis inveniuntur apud populum senioem. Prosperitas societatis humanae potentiaque rei publicae iam nituntur atque in futurum etiam plus nitentur in ingenio potius quam in frequentia populi.

Qualitas hominis est consecretanda, quae eget bona corporis cura optimaque mentis institutione. Huic adipiscendae conditioni obstat nimium hominum incrementum, ut patet in multis orbis terrarum partibus.

Gaius LICOPPE

¹ demographia, ae: scientia, qua modo statistico tractatur de humanarum multitudinum recensione (Guillard 1855).



ERRATUM

In superiore Melissa fasciculo errorem fecimus. Res tamen est tam singularis, ut culpa non sit nostra. Quis enim hoc praevidere potuit: in Francogallia duo sunt professores, quibus nomen (non ita commune) est Iohannes-Natalis Robert. Ambo insuper colunt et Latinitatem et Sinas: nam

alter est Latinista, qui Sinas amat, alter Orientalista, qui Latinitatem amat.

Nos autem omnia confudimus. Veniam nobis dare velint et ambo professores et lectores. Subiuncta epistula veritas redintegratur.

Doctissimo viro Gaio Licoppe Iohannes-Natalis Robert salutem plurimam.

Modo Melissa 62dum exemplar a te missum accepi, de quo gratias multas tibi ago. Cum autem jucunda commentariolorum folia volverem, casu lectis paginarum 9-10 italicis typis, extemplo perhorruui. Nam, vir bone, errorem confusionemque admisisti, quamquam invitus.

Ego enim, qui seminarii Latinitatis vivae anno 1991 Bruxellis instructi particeps fui, libri c.t. *Roma ad Sinas Iter* scriptor non sum. In Franciae nostrae litterarum republica Iohannes-Natales Robert saltem existunt duo, quorum unus clarissimus latinista, alter vero humilis orientalista est. Equidem, etsi linguam Latinam amo pro debilique parte colo, provinciam meam Extremi Orientis linguarum et religionum studium elegi nec umquam de rebus Latinis tractare ausus sum. Laudati istius libri scriptorem igitur non me


orientalistam, sed JN Robert latinistam esse constat.

Ceterum, quod narras de Sinensi sacerdote mihi vere apud Seres contigit, annis nunc abhinc septem octove, sicut vobis in Seminario Bruxellensi retuli. Cum in civitate Xining provinciae occidentalis Qinghai eram, ibi ecclesiam catholicam visi, in vico mahometano sitam, cuius parochus mecum Latine locutus est. Adhuc praesentem in memoria illius sententiam teneo: «Annos viginti in carcere fui pro fide Christi.»

Non autem dubito quominus JN Robert latinista cum illo sacerdote perfluentem colloqui potuisset, si adfuisset. Te ergo supplex precor, docte Gai, istam molestam, quamvis naturalem, confusionem emenda lectoribusque illumina hanc epistulam in commentariis tuis edendo.

Vale.

Iohannes-Natalis Robert orientalista.



NOVUS LIBELLUS

A DOMO EDITORIA MELISSA IN LUCEM EDITUS

G. LICOPPE & A. FLOUR, *Ambulatio Latina secundum litus Belgicum*

Linguae Latinae cultores, qui hoc opusculum legent, comperire poterunt quam affinis sit Latinitas singularibus litoris Belgici fati. Non in aliena regione sibi videntur ambulare...

Primam candellam, quae huius regionis historiam paululum illustravit, accendit Caesar in commentariis de Bello Gallico. Occasio adhuc datur urbis Brugarum Latine lustrandae, ducente Paulo Elsen sodale «officialis circuli mystagogorum Brugensium».

Exeunte hoc mense opus erit in promptu.

SECRETUM NATALICIUM

HANC FABELLAM IGNOTAE ORIGINIS IN COMOEDIUNCULAE LATINAE FORMAM
ADIUVANTIBUS TEIVA OKSALA ET IOHANNE TAHVANAINEN REDEGIT
ERICUS PALMÉN

Personae: Iohannes adolescentulus

Scaena: Culina

Mater

Pater

Avia

Avus

Babbus Natalis

(Mater et Pater in culinam convenerunt. Mater ad furnum in epulis nataliciis coquendis occupata est; Pater in hemicyclo sedens pipae fumandae et actis diurnis legendis operam impendit. Subito acta diurna deponit.)

Pater: Heus Mater, scisne quidnam mihi nuperrime in mentem venerit?

Mater: Quid?

Pater: Filius noster Iohannes sedecim annos complevit. Non igitur iam puerulus est, sed mox togam virilem sumet. Necesse est tandem aliquando ei aperiamus summum secretum, quod eum adhuc celavimus.

Mater: Ego tecum plane consentio. Ut verum confitear, animus meus hac cura iam diu angitur. Intellego eum intra breve tempus virum adultum fore, tumque ei utique huius secreti onus fortiter et viriliter portandum erit... Neque tamen facere possum, quin interdum angore et maerore capiar. Quid, si huic rei nondum maturus est? Quid, si secreto cognito animus eius frangetur?

(Ingressa in culinam Avia oculos in colloquentibus figit.)

Avia: Quidnam nunc est, quod vos tam sollicitum vultum habetis? An praecipua aliqua cura angimini?

(Mater oculis in Patrem paulisper retortis manutergium sumit.)

Mater: Revera praecipua nobis est cura, in qua tu quoque nos adiuvere potes. Dic nobis: nonne Iohannes iam aetate satis robustus est - nonne certior fieri possit de summo secreto, quod in gente nostra filiis crescentibus serius ocius aperiri debet?

Avia: Non, non, non, nolite talia cogitare! Nondum tempus idoneum est ad id faciendum! Immo hoc ipso tempore cavendum est, ne umeri eius teneri nimis onerentur sarcinis. Mihi credite: ipse Avus, qui sapientissimus nostrum est, eandem, atque ego, habet sententiam. An eum ipsum interrogemus? Heus Ave, Ave, volo statim huc venias!

(Ostium patescit; ingreditur tardis gradibus Avus baculo innixus).

Avus: Ave, ave, Avia, ecce adsum! Quidnam est, quod me eodem verbo et salutas et advocas?

Avia: Omitte istas verborum facetias! Res severissima nobis nunc decernenda est. Illi enim Iohanni summum secretum aperire volunt - id ipsum, quod in gente nostra iam pridem hereditate traditur. Nonne aliquot annos exspectari oportet, antequam id fiat?

Avus: Hmm, rem difficillimam a me quaeris. Mea quidem sententia Iohannes iam prope vir adultus est. Num illud secretum in aeternum celari poterit? Fortasse tu aliquot annis post, cum de hac re rursus colloquemur, idem dices, quod nunc dicis: "Aliquot usque annos exspectari oportet!"

Avia: Ista igitur tua est vera sententia? Nonne umquam mecum consentire potes?

Avus: Noli stomachari, Avia; non ego tecum plane dissentio. Bene scio alteram partem causae: in



Comoediuncula Natalicia

mundum adultorum transire unum est e momentis severissimis totius vitae. Si nunc aspere aut temere egerimus, erit periculum, ne animus pueri perturbetur et per omne vitae spatium illius secreti onere gravetur. Ut breviter summam rei dicam: pueritia eius dissuenda est, non discindenda!

Pater: Nunc igitur ego Iohannem huc advoco, ut coniunctis viribus pueritiam eius dissuamus.
(Egreditur e culina, ut Iohannem foris versantem introire iubeat. Vox eius inde auditur.)

Pater: Iohannes, Iohannes, ubinam es?... Iohannes, Iohannes, audisne? Fac statim introeas!
(Paulo post Iohannes in culinam ingressus oculos in adultos circumfert.)

Iohannes: Quare vos omnes tam austero vultu estis? Equidem cum sodalibus in palaestram ire meditor. Ii me iam exspectant...

Mater: Conside nunc in illa sella, mi fili! Severissima est res, propter quam te huc advocavimus. - Fortasse... fortasse tu, Pater, maxime idoneus es, qui eam puero dicas.

Pater: Cur mihi ea dicenda est? Nonne Avia modo dixit Avum esse sapientissimum nostrum? Is igitur magis idoneus est, qui rem dicat!

Avus: Sic ergo, puer, fac... fac diligenter mihi aures praebeas! Agitur enim de summo secreto, quod in gente nostra pater filio - vel avus nepoti - tradere solet. Tu iam eam aetatem es assecutus, ut... ut... Non, non, ego id dicere non possum!

(Lacrimis obortis oculos in Aviam et Patrem et Matrem circumfert, qui omnes item fletu abstinere vix possunt.)

Puer: Quid est, quod isto modo lacrimatis? Narrate potius, qua de re agatur!

(Avus oculis in Avia fixis primo tacite auxilium implorat, deinde vocem emittit.)

Avus: Dic tu, Avia; tu enim dicendi peritior es quam ego!

Avia: Cur mihi mulierculae semper gravissima officia imponuntur? Nonne vos, Pater et Mater, rem narrare potestis, sicut ipsi quoque eam olim a parentibus vestris audivistis?

Iohannes: Nisi statim narraveritis, vos litigantes hic relinquam. Ego sum vir variis negotiis occupatus; non possum hic per totum diem morari. Nonne modo dixi sodales me exspectare?

Pater: Mi fili, ista ratione tibi non licet parentes alloqui! Adulescentis est maiores natu revereri - id semper memento!

(Mater altercatione ceterorum defatigata sermoni intercedit.)

Mater: Res nostra videlicet nihil procedet, nisi ego initium cepero. Audi, puer: ego tibi secretum illud patefaciam. Noli id nimis moleste ferre... Babbus Natalis... Babbus Natalis...

(Conticescit; nam prae singultu amplius loqui non potest.)

Iohannes: Quid de Babbo Natali?

Mater: Babbus Natalis... nullus est - omnino non exstat!

(His verbis dictis ingentem ploratum ore edit. Ne ceteri quidem adulti se continere possunt, quin lacrimas effundant. Iohannes eos omnes benigne consolatur.)

Iohannes: Cara Mater, care Pater, cara Avia, care Ave!
Hoc secretum ego iam decem annos scio!
Nolite igitur lacrimis lavari!

(Subito ostium pulsatur. Ingreditur Babbus Natalis saccum donorum umeris portans.)

Babbus Natalis: Quidnam ego hinc exaudio? Mene nullum esse, mene omnino non exstare?! Si ita contendere perseveraveritis, ego cum hoc sacco in alias regiones abibo. An suntne hic pueri probi et puellae probae?

(AULAEUM)



ANTHOLOGIA EX "ALAUDIS"

SCRIPSIT THEODORICUS SACRÉ

1. *Alaudae* cur sint conditae (*Alaudae*, num. 11, die 12 m. Apr. a. 1890, p. 82-83)

Alaudarum auctor Sergio Syromiatnicov s.

Scire cupis, quo consilio ad edendas *Alaudas* me accinxerim. Quid mihi ob oculos versatum sit, nemini huc usque aperui. Nam rem quandam arduam coeptum esse meum non fui ignarus. Audire nolui: *At tu insania somnia aucuparis*, tamquam appeterem metam imaginariam curru temerario. Timui quoque, ne viderer loqui nimis audacter.

At vos, lectores mei, vestro jure utimini, si me interrogatis. Vos, quid me egerit, nosse fas est. Coram vobis partis meae defendendae reum me agnosco. Cum igitur, humanissime Sergi, interrogaveris, en, fer responsum.

Educere linguam Latinam volui e scholis puerorum studiisque virorum doctorum contemplativis foras in vivum usum vivamque adhibitionem, ex obscuris lucubrationum cubiculis eque bibliothecarum situ et mucore in auras vitales. Linguam nobilem eripere ex immerita aspersione et humilitate studii ereptamque introducere in vitam nostram. Jacere eam videns undique circum et opprimi, solvere ei studii indigna vincula, ut cum dignitate sua prodeat in libertatem. Umbrae exsanguis et pallidae inspirare nixus sum vitam viresque ei infundere et sanguinem. Ne vocetur amplius, mecum dixi, lingua mortuorum. Sit lingua recens, lingua nostri saeculi, lingua quae inserviat nostro diei; sit denique lingua viventium.

Vivere eam volui. Vivere eam iussi. Vivere eam jubere ausus sum.

Quid? Talis linguae lucem collocare sub modio?¹

Quae tanta adhibita cura et assiduitate teneras mentes docuerat gymnasium, ea damnare languidae ariditatis et lenti interitus, ea sensim obrepenti relinquere oblivioni? Non eas arbitrabar gymnasio nos debere gratias.

Scholaene igitur, soli scholae, linguam discimus tam egregiam? Non vitae quoque? Nonne nefas?

Cur non erit illa iterum, quae jam fuit, *internuncia inter nationes*?

Cur non lingua civitatis illius incorporeae et universalis, quae aspernatur populorum confinia terrarumque, cui non sufficit una pars mundi, cui Europa nostra est nimis arcta, quae maria

transgreditur oceanosque?

Cumque illa revocatio a mortuis perfici nequeat unius opera nec conatu uno, incitamento saltem esse voluit mea vox tot viris sparsis per orbem, ut aggrediantur alacriter, quod et apud eos in mentibus latere puto. Incitamenta parva interdum magnus jam est subsecutus effectus.

Ego ad illum finem scribere volumen exhortationum disputationumve nolui. Ingredi volui, sine ambagibus, absque prooemio, in medias res. Ostendere ipso facto volui, posse fieri, quod innuo, posse eam aptari usibus hodiernis, admoveri rebus saeculi nostri, adhiberi ad quaevis genera cogitandi et loquendi, posse eam inservire viventibus. Introducere eam volui in nostram vitam viva voce loquentem, introducere in nostri temporis medias undas.

Sic creare volui rem inter res nostri aevi tam frequentem: *paginarum typis conscriptarum seriem continuam, sub certo nomine, interjectis intervallis, in lucem prodeuntium*.

Superbum, Sergi, responsum hoc vocabis? At me, diu tacitum, rumpere silentium tu interrogando coëgisti. Vive valeque.

2. *Paesti in templo Neptuni* (*Alaudae*, num. 1, die 6 m. Maii a. 1889, p. 1)

Maeret hoc fanum. Domus est relicta.

Non venit, qui sacra ferat, sacerdos.

Et mihi Divum videor videre
celsa sepulcra.

O levis circumvolitans hirundo,

sola tu templo super es fidelis?

Quid canis? - MAGNIS CANO DE COLVMNIS
INTERITVRIS.

3. *Ver hiemalis* (*Alaudae*, num. 1, p. 5)

Veris jam virescentis et floescentis candidam passi sumus interruptionem hic Aquilae die 26 Aprilis 1889. Duas horas continuas nixit. Nivis flocci cecidere maximi. Vestivit, quasi media hieme, nivis tegmen solum, vias oppidi, tecta, aliquot



horas duraturum. Vestivit et in foro lignario mulos mulorumque onera, ligna saccosque carbonum, et ipsos monticolas, qui mulos agebant. Candidiores enim intercedebant quam in mola, imbutis farina vestibus, famuli pistoris. Vidi in horto ramos arborum florentium nive oneratos et ornatos. Certabat candore cum candidis piri floribus nix haerens inter ejus prima viridia folia. Pulchrius autem nil vidi usquam ramis mali persicae, obsitis mille teneris floribus roseis totidemque virgineae nivis mollibus floccis.

4. Somnium transalpinum (Alaudae, num. 14, m. Oct. a. 1890, p. 105-110; num. 17-18, die 20 m. Martii a. 1891, p. 131-133)

I. In umbra noctis alatus Phantasmus in auras me rapuit. Per nubes me in longinquum portavit. Vidi ex alto nivea culmina Alpium. Ad ripas Istri me tulit, in aulam magnam, repletam spisso conventu septem nationum. Ecce, introiit vir augustus, venerandum Caesareum caput, cum summis civitatis rectoribus. Septem populi assurrexere. Coram convocato septem populorum coetu ille solemnem habuit orationem, qua auspicia sua daret indictis communibus eorum comitiis.

At res mira et vix expectata. Orationem dixit Latine. Quam ingens populorum secuta est acclamatio. Etiam acclamantium voces esse Latinae videbantur.

Miratus sum. Sed dux meus: Quid stupes? Nonne Stockholmiae d. 7 Sept. 1889 rex Oscar² orationem habuit Latinam omnique coetus eum intellexit? Nonne nuper Berolini Latine locuti sunt Baccelli Italus³, Virchov Borussus⁴, Aretaeus Graecus? Nonne tot choro plaudente? Cur non etiam Caesar Latine loquatur?

Dum colloquimur, en, accedit ad nos unus illorum, qui e sellis assurrexerant. Mirarisne, inquit, comitorum imperii nostri linguam linguam esse Latinam? At plus quiddam habemus. Legislationis quoque lingua, decretorum, rescriptorum, breviter: lingua publicae civitatis nostrae omnis facta nunc est Latina. Cessit Latinae Germanica. Studuere ei paulo magis quam antea Caesaris ministri, civitatis rectores, administratores, procuratores, officiales. Studuimus ei et nos, septem populorum mandatarii electi. Sic facta res est et absoluta. Haud erat ita arduum id coeptum. Ante erat studendum 6 populis, ut loqui scirent in hac aula unum solum verbum, Germanicae. Nunc student Latine. Quid refert? Et quicumque inter nos Germanus est, nonne studuit ante Gallicae vel Anglicae? Conversum tantummodo nunc est studium in aliam linguam. Et inter nos electos interque senatores quot sunt, quin jam ante illius non prorsus fuerint ignari? Nonne plerique nostrum

didicere Latine quondam in schola?

Jam quoniam in aula hac legifera loquimur Latine, nemo in eam amplius eligitur, quin sciat Latine.

At, objeci, nonne limite ultra modum arcto circumscripta sic est populis vestris libertas eligendi? Vos enim omnes, populi 7, pariter sic cogimini eligere eos, qui lingua utuntur non vestra.

Ille. Dixisti bene: pariter. Isto enim modo circumscripti ante erant Bucovinenses, Dalmatae caeterique populi 4, coacti eligere eos, qui uti sciebant Germanica. Cives Austriae Germanici a simili onere exempti erant. Fruentes privilegio quemlibet popularium suorum eligebant. Par nunc conditio cunctorum.

Et grammaticae Latinae labyrintho non deterremini? rogavi collocutorem meum velut Britannicus interviewer.

Labyrintho? Germanica nobis multo nodosior. Aliquantulo studii, concedo, opus est. At utinam novisses, quam multa faciantque ferantque nostri spiritus ambitiosi et tenaces, affectatores honorum, ut obtineant sellam in aula legifera! Ut sudant et algenti⁵ Sic nunc alacriter se accinxere rei inusitatae: studio. Noctu dieque incumbunt super verbum *sum fui esse*, ablativum absolutum, super conjunctiones ut, ne, quo, quin, quominus. Si vires deficere incipiunt seu somnus obrepit, spe adipiscendae sellae expergefiunt, spe incitantur, spe reficiuntur.

Ego. Et mihi licet, haec quae dixisti proferre in lucem?

At cuncta! Gymnasium, quod nonnullis jam ager sterilis esse videbatur, nunc fructum fert egregium. Affluunt discipuli catervatim.

Tu forsitan ignoras, in concilio Vaticano anni 1870 episcopos nostros longe praeluxisse ceteris loquela Latina. Quantum vibravit et fulminavit Latine ille Strossmayer, Christianae suae dignitatis adeo immemor, ut calefactus in verba eruperit: *Per deos immortales!*⁶ Ecce, tam laudabiles jam fecere progressus electi nostri, ut coeperint expeditissime erumpere in eadem verba cum ardore vere Strossmayeriano.

Certe, si quid mansit usus asperioris, et parvi momenti est et in annos sensim decrescet. Paucis annis elapsis evanuerit.

Praesidi nostro ad latus addidimus censorem cum potestate monendi. Si quis orator nimis obluatur grammaticae: *Abi*, ait ille; *recede de rostris. Fac pacem cum patre Prisciano.*

Caesari optime nota est. Est ei etiam lingua gratissima.

Inchoavimus rem a *monetis*, verbis imperativis *militaribus*, rebus *postalibus*. In his enim linguam Latinam censuimus statim posse adhiberi vel celerius. Arrisit nobis eventus. Loquitur quidem corpus juris de simplicitate armatae militiae. At haec non est ea apud milites nostros, quin statim

didicerint pauca verba Latina, iidem qui ante edocti erant pauca verba Germanica.

En, inquit, protrahens e pugillaribus mihique ostendens epistolam. Fortasse nondum vidisti novas tessellas⁷ postales Austriacas. Epistolae agglutinata tessella habuit aquilam bicipitem, supra quam meis oculis legi: *Imp. reg. posta Austr.*

Quam delectaretur hac, mecum dixi, lector ille Alaudarum, qui signa postalia colligit. Si necopinanti eam mitterem! Et efflagitare eam coepi.

Coepi; nam repente os mihi praeclusit importunus famulus postalis. Hic introiens in cubiculum meum me expergefecit. Vix compescui fastidium, dum epistolas apprehendo, quas tulit. Inter quas uni agglutinata erat tessella. Quae et ipsa bicipitem mihi ostendit aquilam. Avide ejus inspexi inscriptionem, ut iterum quod videram viderem et ut nunc saltem mitterem lectori rem tam raram.

At quo me malus abstulerat error! Deceptus eram. Legi, quod legere soleo: *Kais. Kon. Oest. Post.* non *Imp. reg. posta Austr.*, quantum licet manifesto nunc nunc haec conspexerim hoc ipso temporis vestigio. Quicquid narraui, ludibrium fuisse vidi pulchri quidem et alati, sed inveterati falsarii, mendacis Phantasi.

II. Inest saepius mica serii somniis. Jamque serio loquamur.

Linguae Germanicae dominatio, sublatae in apicem rerum, aegre fertur a 6 reliquis populis. Et merito. Quis enim tulerit dominantem 6 populis linguam populi septimi? Cuius populo idem jus esto. Sic instar jugi 6 nationibus illa incumbit

et quaevis ardet iniquum

excussisse jugum.

Gubernari a lingua unius populi, res indigna est caeteris populis. Exuatur lingua Germanica - non luce sua. Quae quae exuere eam valeat, est nulla potestas. Exuatur iniqua dominatione. Est Austriacarum nationum dignitas, quae hoc poscat. De dignitate agitur. (...)

V. Parva incitamenta jam grandia saxa moverunt. Lingua postalis hinc inde Latina esto. Si hoc in aula Ila tres electi rogabunt, Bucovinus, Bohemus, Dalmata, validos facile invenient assensus, ita ut rogatio sciscatur. Quam exsequi res haud difficilis. Vertentur verba huc usque usitata Germanica et administri postales discent sermonem Latinum. Hoc fere totius negotii summa. Et populus, qui rebus postalibus utitur? At nunc discunt verba postalia Germanica Dalmatae, Istri, Carniolani, Carinthii, Bohemi, Bucovini. Eorum adolescentes arma ferentes discunt Germanica verba concepta. In ecclesiis fundere preces didicere Latinas. Cur non discent et haec tam pauca verba Latina? Inviti hi intuentur verba postalia Germanica. Latina certe et videbunt animo libenti

et discent, nemine cogente, sponte sua. Et quod hi possunt, nonne poterunt idem qui loquuntur Germanice? Sic, nulla e septem dominante in solo Austriae, par jus erit septem linguis omnibus.

Si semel inchoata haec erunt in Austria ibique usum nacta et florem, tum aliae nationes rei novitate stupefactae frontem manu sibi percutere incipient, exclamantes: Quo capti fuimus somno? Cur, inquit, in scutum sustulimus linguam Francorum in foedere postali, linguam unius inter nos nationis, Latinitatem transformata, cum nobis aditus pateat ad Latinitatem intactam? Quo jure una dominatur? Par jus sit omnibus.

Sic exemplum Austriae facile incitamento esse posset ad ejiciendam e foedere linguam Gallicam, tot nationibus immerite impositam et ad substituendam in ejus locum linguam revera universalem. Sic addita rebus postalibus verba Latina ad antipodas usque penetrarent et ad circulos polares.

Utimur voce *posta*, cum Romani *cursum publicum* dixerint. Expellere enim ex usu *postam* vix possumus, receptam diu a Latinitate recentiore⁸, munitam quoque auctoritate documenti Latini, quod vim legis obtinebat, instrumenti pacis Guestphalicae, voce *posta* utentis.

Ecce, quem in modum fingi possint verba postalia Latina:

Chartula epistolaris duplex. Huic parti adjuncta appendix respondendo destinata est. Appendix responso scribundo. In hoc latere praeter inscriptionem nil poni licet.

Epistola curae praecipuae commendata. Epistola ad certam summam cautione postali munita. Epistola chartas continens aeris vice fungentes.

Mandatum de solvendo postale (Assignatio postalis.) Appendicula separabilis. Quam resecandi et sibi habendi accipienti jus est.

In chartula duplici conglutinabili⁹ recentissimae inventionis: *Chartula epistolaris clausa. Quam ut aperias, secundum foraminum seriem avelle marginem.*

En, res facillima. Et in posterum si tibi sub oculos cadet collectio signorum *cursum dantium* epistolis, in recentioribus forsitan invenies haec Latina: *Postae reipublicae Francorum. Regia posta Hungariae. Regia posta Bajuvariorum. Signum postale civitatum confoederatarum. Posta Aegyptiaca, juxta effigies pyramidis et sphingis. Posta Canadensis, juxta figuram fibri. Posta imperii caelestis. Posta reipublicae sancti Marini.* Et haec enim *postam* suam exercet.

*
* *



Anno 1889 pridie Nonas Maias primus prodiit
Alaudarum libellulus inscriptione insignitus hac:
 1889

ALAVDAE

Aquilae pridie nonas Majas.


Hae paginae bis mense in lucem prodeunt,
 parvis dedicatae studiis parvisque camoenis.

Novissimus autem Aquila Aprutensium in lucem
 est emissus mense Februario anno 1895. Quos
 commentarios Latinos condidit, solus conscripsit
 et edidit Carolus Henricus Ulrichs Borussus, qui
 anno 1880 relicta patria Aquilam penates
 transtulerat. Editor autem ille expedite scribebat
 et Latine, etsi elegantis Ciceronianis Atticum
 anteposuit dicendi genus; carmina eius non
 invenusta, licet humilia. Ne multa, vir ille omni
 laude dignus; eius enim vestigiis inhaerentes Angli
Phoenica anno 1890, Americani Septentrionales
Praeconem Latinum anno 1894, Itali *Vocem Urbis*
 anno 1898 in lucem edere coepere.

De Alaudis vide quae scripserunt Anonymus,
 «Eine lateinische Zeitung», *Allgemeine Zeitung*,
 Monaci 13 III 1893, *Beilage* 61, pp. 6-7; N.
 Persichetti, «Curriculum vitae litterarium», *Vox*
Urbis, 1 (1898), p. 2; Th. Sacré, «Le latin vivant: les
 périodiques latins», *Les Etudes Classiques*, 56
 (1988), p. 99.

ADNOTATIONES

- 1 Cfr. VULG. Marc. 4, 21.
- 2 Oscar II (regnavit 1872-1907).
- 3 Vido, ut equidem puto, Baccelli (1830-1916)
 medicus et vir politicus, item poeta Latinus; cfr.
 V.R. Giustiniani, *Neulateinische Dichtung in
 Italien 1850-1950. Ein unerforschtes Kapitel
 Italienischer Literatur-und Geistesgeschichte,*
*Beihefte zur Zeitschrift für Romanische
 Philologie*, 173 (Tunbingae, 1979), pp. 38-39.
- 4 Rudolphus Virchow (1821-1902), medicus
 idemque vir politicus.
- 5 Cfr. HOR. ars 413.
- 6 Iosephus Georgius Strossmayer, episcopus
 Croatarum 1850-1905, in sessione 22 III 1870
 tumultuaria orationem de doctrina catholica
 habuit.
- 7 Posta = cursus publicus; postalis = cursualis;
 tessella postalis = pittacium sive tessera
 epistularis.
- 8 Cfr. R. Hoven, *Lexique de la prose latine de la
 Renaissance (Lugduni Batavorum etc., 1994),*
 pp. 273-274.
- 9 Cfr. R. Hoven, o.c., p. 79.



Postridie Cal. Nov.

*Mirus hic solis tepor unde regnat?
 Ossa funtorum fovet hic, tuetur
 quos tulit flores pietas avita:
 vitane vincet?*

*Heu! brevis spes, heu! cito spes inanis:
 iam metet flores Boreas fugaces
 franget et frigus tepida ossa morsu:
 mors superabit.*

*Theodoricus Sacré
 Lovanii postr. Cal. Nov. A. 1994.*

IN BELGICA



LATINITAS VIVA INTRAT IN STUDIORUM UNIVERSITATEM (SCRIPSIT CHRISTIANUS LAES)

Novus annus academicus abhinc iam quinque septimanas incohatus est, in quo res tam mira, tam iucunda facta est, ut vix me retinere possim quin vobis enarrem.

Ut fortasse iam scitis, professor Theodoricus Sacré hoc anno etiam in studiorum universitate Lovaniensi praelectiones curat de auctoribus Latinis, in quibus Catulli poemata tractat.

Prima ergo septimana mensis Octobris nos omnes in auditorio sedebamus, curiosi quidnam faceret novus ille professor Lovaniensis. Intravit praelector, hilaris - ut eius est mos - enthusiasmum prae se ferens ac *Latine* nos salutavit.

Non tantum autem salutavit, sed etiam Latine petivit ut scidam sumeremus, ut nomen et praenomen necnon inscriptionem cursualem ac numerum telephonicum inscriberemus. Deinde, omnibus obstupefactis, orationem introductoriam habuit tam iucundam, tam disertam, poematibus

Guilhelmi Yeats necnon Arri Nuri permixtam, ut, si taeniola sonigera mihi tunc in manu fuisset, nunc vobis novam quandam Ciceronianam orationem praebere possem... Qua in oratione promisit se, in modum experimenti, omnes praelectiones Latine docturum esse; Catullum Latine explicatum, Latine introductum ac enarratum iri. Nos autem hortatus est ut Latine responderemus, si fieri posset; Nederlandice, si hoc plus placeret; et ut, si quid non ita clarum esset, statim rogarem.

Nunc ergo iam quinque septimanas Latinis praelectionibus fruimur, et, cum professor Sacré non nimis celeriter loquatur ac res, variis sententiis synonymisque adhibitis, dilucide exponat, id paucissimis tantum displicet.

Quod plurimis gaudio est Latine audire ac paulatim Latine loqui, vobis certe laetitiam et spem quandam afferet. Qua de causa vos ab hoc nuntio laetifico non diutius abstinere volui...

IN ITALIA



INSTITUTIO EXTRASCHOLARIS MELIUS MELIUSQUE SE HABET (SCRIPSIT FORTUNATUS GIACOMINI)

Sinite me - invitationem vestram accipientem - de duobus etsi minimis ad mundum nostrum Latinum pertinentibus vos certiores facere.

Non longe ab urbe mea pagus exstat cui nomen Vedano Olona. Vedanense municipium hoc anno (scholari) prima vice pro adultis Latinae linguae scholas instituit. Vedanum ivi et compositoribus vehementer gratulatus sum: pagus est enim parvus seu potius parvissimus (circiter sex incolarum milia), dum in multo maiore Varisio idem non contingit. Scholis nonnulli adulti iam se inscripserunt: partim vetustae ac venustae linguae nostrae desiderio laborantes, partim sermonis Latini omnino inscii, libidine ut ita dicam sciendi capti.

En nunc parvum nuntium alterum.


Bellunum est Italica parva pulchra urbs in montibus, in Veneta regione. Aliquos abhinc annos fuit Belluni magni momenti publica Latinitatis vivae celebratio: forsitan celebratio illa fructuosum semen fuit. Bellunensis enim Seniorum Universitas iam superiore anno idem fecit ac Vedanense municipium hoc anno. Discipuli plerumque fuerunt mulieres et viri aetate proveci, emeriti, domisedae aut utcumque alumni qui operae vitam habuerant sive habebant milies a litteris remotam. Ut breviter dicam: pensa (etsi elementaria videlicet) vidi legi perlegi et miratus sum. Miranda ut patet in primis est profestrix illa, Latinitatis vivae acerrima fautrix.

Nonne haec quoque, etsi minima, bona signa sunt?



IN FINNIA 

URBS TAMPERE LINGUAM LATINAM HABET PRO LINGUA OFFICIALI



Amicus noster Teivas Oksala ad nos misit mirum documentum.

Urbs Tampere, secundum morem satis communem, in lucem edidit "chartulam statisticam", id est folium plicatile quo omnia quae pertinent ad urbis vitam summatim enumerantur.

Sed hoc est minus commune: administratores urbis ipsi voluerunt documentum etiam Latine praeberi! Quod factum est adiuvante Teiva Oksala.

Sic legere possumus 2.393 infantulos ibi esse anno praeterito natos, 23 fabricas alimentarias exstare, 184 dentistas, 74.300 vehicula motoria. Non legitur quot sint latinistae, sed in illa regione paulatim videntur plures esse, quam sunt in Finnia lacus...

ETIAM IN FINNIA 

DISCUS COMPACTUS LATINUS

Idem Teivas Oksala una cum Iohanne Ammond t discum compactum* effecit; hic cecinit, ille carmina in linguam Latinam vertit. Titulus est "Tango Triste Finnicum", id quod maxime congruit cum anima Finnica; nam, ut in libello legitur, "tristitia fundamentalis Finnorum definiri potest desiderium melancholicum beatitudinis, quam quondam experti sumus, quae nunc in memoria tantum vivit velut species vana longinqua".

Discus missus est ad Papam, qui per suum

secretarium respondit se eum accepisse "magna cum animi delectatione".

Est in Finnia secunda editio huius generis; nam iam noveramus Reginae Rimon et Thomae Pekkanen "Variationes Horatianae Iazzicae", quae veneunt apud institutum radiophonicum YLE.

*Doctor Ammond t, Tango Triste Finnicum, MLCDS-4109.

ATQUE ETIAM IN FINNIA 

ACADEMIA ROMANA CONVENTUM SUUM AGET

Finni Academiam Latinitati Fovendae invitaverunt, ut proximum conventum internationalem ibi ageret, hac tamen condicione "sine qua non", ut totus conventus tantummodo Latine haberetur.

Quae condicio multis post deliberationibus est

a sodalibus Academiae accepta; habebimus ergo anno 1997 famosum congressum. Res fore videtur magnifica; nam administratores Finniae magnam pecuniam iam obtulerunt.

Ceterum Thomas Pekkanen de hoc successu ipse refert: videatis p. 16.

DE MULTITUDINE HOMINUM

QUID MONEAT ECCLESIA

OSTENDIT PATER IOHANNES MARIA LECOMTE S.I.

Videatis textum Vaticani II, «Gaudium et Spes» n°50.2:

50.2: *«In officio humanam vitam transmittendi atque educandi, quod tamquam propria eorum missio considerandum est, coniuges sciunt se cooperatores esse amoris Dei Creatoris eiusque velut interpretes. Ideo humana et christiana responsabilitate suum munus adimplebunt ac docili erga Deum reverentia, communi consilio atque conatu, rectum iudicium sibi efformabunt, attendentes tum ad suum ipsorum bonum tum ad bonum liberorum, sive iam nati sint sive futuri praevideantur, dignoscentes temporum et status vitae condiciones tum materiales tum spirituales, ac denique rationem servantem boni communitatis familiaris, societatis temporalis ipsiusque Ecclesiae. Hoc iudicium ipsi ultimatum coniuges coram Deo ferre debent. In sua vero agendi ratione coniuges christiani conscii sint se non ad arbitrium suum procedere posse, sed semper regi debere conscientia ipsi legi Dei conformanda, dociles erga Ecclesiae Magisterium, quod illam sub luce Evangelii authentice interpretatur.»*

51.1: *«Concilium novit coniuges, in vita coniugali harmonice ordinanda, saepe quibusdam hodiernis vitae condicionibus praepediri atque in circumstantiis versari posse, in quibus numerus prolis, saltem ad tempus, augeri nequit, et fidelis amoris cultus atque plena vitae consuetudo non sine difficultate conservantur. Ubi autem intima vita coniugalis abrumpitur, bonum fidei non raro in discrimen vocari et bonum prolis pessumdari possunt: tunc enim educatio liberorum necnon fortis animus ad prolem ulteriorem suscipiendam periclitantur.»*

51.2: *«Sunt qui in his problematibus solutiones inhonestas afferre praesumunt, immo ab occisione non abhorrent; at Ecclesia in memoriam revocat veram contradictionem inter divinas leges vitae transmittendae et germani amoris coniugalis fovendi adesse non posse.»*

51.3: *«Deus enim, Dominus vitae, praecellens servandi vitam ministerium hominibus commisit,*

modo homine digno adimplendum. Vita igitur inde a conceptione maxima cura tuenda est; abortus necnon infanticidium nefanda sunt crimina. Indoles vero sexualis hominis necnon humana generandi facultas mirabiliter exsuperant ea quae in inferioribus viae gradibus habetur; proinde ipsi actus vitae coniugali proprii, secundum germanam dignitatem humanam ordinati, magna observantia reverendi sunt. Moralis igitur indoles rationis agendi, ubi de componendo amore coniugali cum responsabili vitae transmissione agitur, non a sola sincera intentione et aestimatione motivorum pendet, sed obiectivis criteriis, ex personae eiusdemque actuum natura desumptis, determinari debet, quae integrum sensum mutuae donationis ac humanae procreationis in contextu veri amoris observant; quod fieri nequit nisi virtus castitatis coniugalis sincero animo colatur. Filiis Ecclesiae, his principiis innixis, in procreatione regulanda, vias inire non licet, quae a Magistero, in lege divina explicanda, improbantur.»

51.4: *«Omnibus vero compertum sit vitam hominum et munus eam transmittendi non ad hoc saeculum tantum restringi neque eo tantum commensurari et intelligi posse, sed ad aeternam hominum destinationem semper respicere.»*

87.3: *«Cum autem a multis affirmetur incolarum orbis incrementum, vel saltem quarundam nationum, omnibus mediis et cuiusvis generis interventu auctoritatis publicae funditus omnino minuendum esse, Concilium omnes hortatur ut caveant a solutionibus, publice vel privatim promotis et quandoque impositis, quae legi morali contradicunt. Nam iuxta inalienabile hominis ius ad matrimonium et generationem prolis, deliberatio circa numerum prolis gignendae a recto iudicio parentum pendet ac nullo modo auctoritatis iudicio committi potest. Cum autem parentum iudicium conscientiam recte formatam supponat, magni momenti est ut omnibus aditus praebeatur ad colendam rectam et vere humanam responsabilitatem quae legem divinam, attentis adiunctis rerum et temporum, respiciat; hoc vero exigit ut passim condiciones*



paedagogicae et sociales in melius mutentur et imprimis ut formatio religiosa vel saltem integra moralis institutio praebeatur. De progressibus porro scientificis in explorandis methodis quibus coniuges iuvare possint in ordinando numero proles, quarum firmitas bene probata est et congruentia cum ordine morali comperta habetur, homines sapienter certiores fiant.»

QUAESTIONES PERSCRUTANDAE

In his rebus omnibus, multum agitur de humana dignitate: «Deus... praecellens servandi vitam ministerium hominibus commisit...» Proinde ipsi actus vitae coniugali proprii secundum germanam dignitatem humanam ordinati, magna observantia reverendi sunt.

- Quae seu qualis est vera hominis (ingenua) dignitas?

G.S.12: «Secundum credentium et non credentium fere concordem sententiam, omnia quae in terra sunt ad hominem, tamquam ad centrum suum et culmen, ordinanda sunt».

«At ut recte intelligatur quid sit homo, multas opiniones homines de se ipsis proferunt, varias et etiam contrarias... Deus quidem, et cum eo Ecclesia ab Ipso revelante instructa, responsum affert, quo vera hominis condicio delineetur, explanentur eius infirmitates, simulque eius dignitas et vocatio agnosci possint.»

G.S. 22: «**Non nisi in mysterio Verbi incarnati mysterium hominis vere clarescit.** Christus enim, novissimus Adam, in ipsa revelatione mysterii Patris Eiusque amoris, hominem ipsi homini plene manifestat eique altissimam eius vocationem patefacit... Qui est «imago Dei invisibilis» (Col. 1.15), Ipse est homo perfectus, qui Adae filii similitudinem divinam... restituit. **Cum in eo natura humana assumpta, non perempta sit, eo ipso etiam in nobis ad sublimem dignitatem evecta est.** Ipse enim Filius Dei incarnatione sua cum omni homine quodammodo se univit... Natus de Maria Virgine, vere unus ex nostris factus est, in omnibus nobis similis excepto peccato.»

- Dignitas humana et castitas.

«Catechismus Ecclesiae Catholicae» nuper editus castitatis hanc dat definitionem (ex lingua Francogallica in Latinum a me versam):

«Castitas est integratio prospere profecta sexualitatis in persona humana, unde interior hominis unitas fiat in natura eius corporali spiritualique. Sexualitas, qua exprimitur coniunctio hominis rebus corporalibus biologicisque, personalis evadit vereque humana, cum assumpta est in relatione personae cum persona, in mutuo dono sui ipsius integri et temporaliter illimitati viri mulierisque. Ergo virtus castitatis secum

fert integritatem personae et integritatem doni.

Castitas secum fert quoddam tirocinium ut se ipsum regere discat homo, quod est quaedam paedagogia ad libertatem humanam comparandam. (Cat. 2337-2338).

- Qui est verus finis hominis?

Ad Ecclesiae magisterium reveniendum est: homo a Deo et ad Deum factus est. Finis eius ultimus a Deo constitutus est ut participant creaturae perfectam unitatem beatae Trinitatis. Sed ex hoc nunc vocatio nostra est ut habitet in nobis Sanctissima Trinitas: «Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diligit eum, et ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus.» (Cat. 259)

- Qui debet esse verus scopus institutionis iuvenum?

«Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiat? Aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?» (Mt. 16,26)

«Duorogavite, ne deneges mihi antequam moriar: - verbum iniquum et dolosum longe fac a me, Domine,

- divitias et paupertatem ne dederis mihi, sed tantum victui meo tribue necessaria» (Prov. 30,7-8)

- De hodierna libertate sexuali.

In «Chronicalibus», in Commentario periodico cui titulus «Vox Latina», ad diem 28.3.94 editis, haec legimus:

«Naturale est, ut sexualitas ad naturam humanam pertineat. At temporibus recentissimis haec condicio sive in periodicis quibusdam sive in emissionibus quibusdam televisificis et alibi adeo exaggerari solet, ut «libertinismus» quidam sexualis vel paene «pansexualismus» propagentur. Quae morum mutatio ante nonnulla decennia ex America septentrionali non ita feliciter in Europam videtur esse illata. At nunc saltem in partibus quibusdam Americae septentrionalis condiciones videntur esse in melius mutatae. Nam in provincia Marilandica [Maryland] quinque miliones dollariorum exhibiti sunt, quibus sententiae televisificae vel praeconia stationum ferriviae subterraneae praeberentur castitati virginitative favorabilia. Ibi dicuntur vel leguntur verbi gratia haec: «Castitas non est ignominia neque dedecus» vel «“Virgo” non est vocabulum increpatorium». Hunc in modum etiam ille morbus tremendus multo facilius vitari potest, qui vocatur «AIDS» sive «SIDA». Itaque ibidem etiam «adulescentium coetus castitatis colendae» conditi sunt, quibus verbi gratia proposita est sententia haec: «Abstinencia sexualis ante nuptias est cautio certissima.»» (C. Eichenseer, «Chronicalia», in Vocis Latinae fasc. 116, 1994).



LATINITAS VIVA

UBI COLATUR

CONVENTUS INTERNATIONALIS ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

A Thoma Pekkanen Finno hic nuntius ad nos missus est:

Academia Latinitati fovendae die vicesimo tertio mensis Novembris Romae sessionem habuit, ubi imprimis de nono eius conventu internationali agebatur. Placuit Academiae, ut ille conventus apud Finnos in urbe Jyväskylä (quae Granivicus Latine appellatur) a die sexto ad tertium decimum mensis Augusti anni 1997 celebraretur. Argumenta in conventu Jyväskyläensi (Granivicensi) tractanda proposita sunt duo:

1. "De relationibus orbis Latini in terras septentrionales antiquis et mediaevalibus"
2. "Quomodo lingua Latina hodie doceatur"

De lingua conventus Granivicensis **Academia unanimiter statuit, ut omnes orationes, acroases relationesque Latine pronuntiarentur**, quamquam in colloquiis et disputationibus extemporalibus nec non in actis postea edendis etiam maiores linguae modernae approbarentur.

Die sequenti Academia sessionem extraordinariam habuit, ut in Statutum vigens aliquot mutationes induceret. Omnes minoris momenti mutationes a praesentibus sunt approbatae. De articulo autem secundo, ubi de lingua Academiae officiali agitur, opiniones sodalium tantum inter se discrepabant, ut illa quaestio in sessionem Aprilem differretur.

SEMINARIA LATINA

In seminariis Latinis, a Societate Latina Saravipontana institutis, participes inducuntur ut Latine loquantur. Moderator peritissimus est Dr P.C. Eichenseer, qui talia seminaria ab anno 1973 solet suscipere; D.rix S. Albert tirones delectabiliter adducit ad Latine loquendum.

Morsaci (Morschach) in Helvetia a die 30 mensis Iulii in diem 5 mensis Augusti a. 1995
supra lacum "Quattuor Regionum"

Scribatis ad: SOCIETATEM LATINAM
Universität - FR 6.3
Postfach 1150
D-66041 Saarbrücken

Vavriae (Wavre) in Belgica a die 11 in diem 18 mensis Augusti a. 1995
non longe ab urbe Bruxellis

Scribatis ad: Gaium Licoppe
Avenue de Tervueren, 76
B-1040 Bruxelles

FERIAE LATINAE

a Dre Suitberto Siedl OCD institutae. Moderatores eas fieri volunt "Tusculum quoddam ubi cum Cicerone, Cassiacum ubi cum Augustino, Cenaculum ubi cum Hieronymo..."

in Carinthia a die 20 in diem 25 m. Februarii a. 1995

Scribatis ad: Felicem W. Kucher
Bildungshaus St. Georgen
A-9313 St Georgen / Längsee

Nicaeae (Nice) in Francogallia a die 27 mensis Augusti in diem 3 mensis Septembris a. 1995

Scribatis ad: Clementem Desessard
Résidence des Collines, C 9
500, Rue Léo Brun
F-06210 Mandelieu